

CAPUT SECUNDUM.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Venditio non potest esse sine emptione, nec emptio sine venditione : itaque venditio et emptio merito simul definiuntur : *Contractus quo unus proprietatem rei suæ transfert, et alter ad pretium ejus solvendum se obligat.*

Origo emendi et vendendi a permutationibus exordium habuit. Olim enim non erat nummus; neque unum vocabatur merx et aliud pretium, sed unusquisque, secundum necessitatem, inutilia pro utilibus mutabat, v. g., vinum pro tritico, fructus pro vestimentis, etc. Quia vero non semper nec facile concurrebat ut unus haberet quod alteri deerat, electa est materia, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Illa autem materia est pecunia, qua mediante, venduntur et emuntur res cujusvis generis. Sic fere dicitur l. 1, ff. XVIII, 1, de Contr. Empt.

In septem articulos præsens caput dividemus. Agemus in 1° de natura venditionis et emptionis; in 2° de re vendibili seu merce; in 3° de iis qui vendere et emere possunt; in 4° de pretio; in 5° de obligationibus venditoris; in 6° de obligationibus emptoris; in 7° de diversis venditionis speciebus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS.

In jure Romano venditio non transferebat dominium, sed tantum venditor se obligabat ad rem tradendam et servandum emptorem contra omnem evictionem. Nunc vero, sub jure novo, venditio solo partium consensu perficitur et proprietas rei ad emptorem transmittitur, quamvis res non sit tradita, nec pretium solutum, *Cod. civ. art. 1383*; hoc merito statutum fuit et multo conformius est

sensui contrahentium : hodie igitur applicari nequit vetus axioma olim a jurisperitis et theologis admissum : *Traditionibus, non nudis pactis, dominia rerum transferuntur.*

Attamen, quædam positæ sunt exceptiones et regulæ pro variis casibus speciales quæ sunt hic notandæ.

Si res vendita sit mobilis, et ante traditionem alteri vendatur ac tradatur, ad eum, modo non fuerit malæ fidei, pertinebit; prior vero emptor recursum ad venditorem habebit ut compensationem damni ab illo sibi illati obtineat; idque propter commercium sapienter fuit statutum. *Art. 1141.*

Item si venditio habeat pro objecto res quæ juxta pondus, numerum aut mensuram venduntur, non est perfecta quin pondere, numero vel mensura quantitas reipsa determinata fuerit, nisi res istæ summam vendantur et emanantur, v. g., acervus tritici, independentem a modiorum numero. *Cod. civ. art. 1585 et 1586.*

Si de rebus quæ gustari solent agatur, ut sunt vinum, aqua vitæ, oleum, etc., venditio non est perfecta quin res gustatæ sint. *Art. 1587.*

Si res vendita fuerit sub conditione probationis (*d'essai*), hæc conditio habetur ut suspensiva, et ideo venditio non est per se perfecta. *Art. 1588.*

Si promissio venditionis acceptata existat, vel datæ sunt *arrhæ*, vel non : si datæ sint *arrhæ*, promissio hæc censetur conditionata et uterque contrahens ab illa resilire potest; qui accepit *arrhas*, duplo eas reddere, et qui solvit, easdem non repetere tenetur. *Art. 1590.* Si autem datæ non fuerint *arrhæ*, promissio venditionis censetur vera venditio, modo partes in rem et in pretium consenserint. *Art. 1589.* Attamen, ante executionem promissionis, dominium rei nondum est translatum, et qui vendere promisit periculum rei servat.

Si *arrhæ* post venditionem dentur, habentur ut pars pretii vel ut pignus securitatis; nulli autem e contrahentibus ideo a contractu resilire licet.

Cum nullæ formalitates a lege pro venditione præscribantur, sequitur partes, modo sint habiles, sub qualibet

voluerint forma vendere et emere posse, sive sub scriptis authenticis, sive sub scriptis privatis, sive solis verbis: at ubi verbis tantum facta est venditio, probatio ejus in foro externo non admittitur, si pretium centum et quinquaginta fr. excedat. *Cod. civ. art. 1341.* Excipiuntur tamen conventiones et debita pro negotiatione. *Cod. de Com. art. 109.*

Pro venditione navis, pro venditione tituli dicti *Brevet d'invention*, requiruntur scripta.

Quidquid ambiguum est in venditione, in favorem emptoris explicari debet, *art. 1602*; quia venditor conditiones apposuit, et odia sunt restringenda, favores vero ampliandi. Emptor solvere debet omnes sumptus scriptorum, nisi aliter in conventionione fuerit statutum, *art. 1593*: ejus enim et non venditoris interest ut hæc existant scripta quæ sunt proprietatis tituli.

Cæterum, in variis casibus istis jure positivo determinatis, partes tenentur jure naturali bona fide conventioni stare. Semper jus positivum bonam fidem supponit, aut, quantum potest, eam supplet, et ex æquitate conventiones interpretatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS QUI VENDERE ET EMERE POSSUNT.

Certum est, ex dictis in prima parte, capite primo, eos omnes valide emere aut vendere posse, qui a lege inhabiles non declarantur; certum est pariter eos qui declarantur incapaces ad contrahendum in genere, similiter nec vendere nec emere posse. At præter generalem hanc incapacitatem, alia est pluribus in casibus relative ad venditionem specialis incapacitas, quæ se tenere potest vel ex parte venditoris, vel ex parte emptoris, vel ex parte utriusque.

Primo, ex parte venditoris. Sic 1º ille cujus bona ex creditorum petitione sub custodia auctoritate legitima fuerunt tradita (gallice *le saisi*), bona hæc vendere non potest, quando custodia illi denunciata est, ideoque, si ea

venderet, contractus ipso jure et absque judicis sententia prorsus esset nullus. *Code de Procédure, art. 692.*

Sic 2º qui foro cessit (*qui a failli ou fait banqueroute*), cum honorum suorum administrationem ipso die cessionis amittat, *Code de Commerce, art. 442*, hæc bona alienare non potest. Cessio autem incipit qua die mercator debita sua solvere rogatus recusat. *Code de Commerce, art. 437 et 441.* Imo alienationes onerosæ bonorum immobilium ante cessionis declarationem peractæ rescindi possunt ex creditorum petitione, si probare valeant illas fraudulentè esse factas; gratuita vero alienationes sunt nullæ nisi cessionis declarationem plus quam decem diebus præcesserint. *Code de Commerce, art. 444.*

Qui scit bona sua debitis suis jam esse imparia, nihil in foro conscientie valide donare potest, quia bona quæ possidet jam non sunt sua, sed creditorum. Donatarius pariter in eo casu tale donum nec acceptare, nec acceptum retinere potest.

Secundo, incapacitas se tenere potest *ex parte solius emptoris.* Sic 1º tutor bona pupilli sui emere non potest, nec per se nec per alios, etiam in adjudicatione publica. Idem dicendum est de mandatariis respective ad bona quæ ex mandato vendere debent, de communitatum administratoribus circa bona quæ administrant, de publicis præpositis relative ad bona nationalia quæ eorum ministerio vendi debent. *Cod. civ. art. 1595.*

Sic 2º ille cujus bona sub custodia sunt posita (*le saisi réellement*), et ii qui evidenter solvere nequeunt, bona ista per adjudicationem obtinere non possunt. Hæc prohibitio extenditur ad judices, procuratores, recognitores (*substituts*), scribas, etc., tribunalis ex cujus sententia bona illa venduntur. *Code de Procédure civ. art. 713.*

Sic 3º judices, eorum vicem gerentes, procuratores, scribæ, advocati, notarii, etc., de litibus aut juribus litigiosis, pacisci nequeunt, gallice, *ne peuvent devenir cessionnaires de procès et droits litigieux, qui sont de la compétence du tribunal dans le ressort duquel ils exercent leurs fonctions.* *Cod. civ. art. 1597.*

Tertio denique, præfata incapacitas se tenere potest si-

mul ex parte venditoris et ex parte emptoris; nempe 1º si agatur de conjugibus; inter se enim vendere et emere non possunt, nisi in triplici casu in art. 1595 Cod. civ. expresso; scilicet: 1º si per sententiam iudicis sint separati, et unus aliquid cedat alteri in solutionem debiti jam existentis; 2º si maritus quædam bona transferat uxori suæ etiam non separatae ad compensanda bona ejus immobilia quæ fuerunt alienata, vel ad repræsentandam pecuniæ summam ad eam pertinentem; sed requiritur ut hæc bona et pecuniæ summa constituta non fuerint in communitate; 3º si mulier bonum aliquod cedat marito ad complendam dotem quam promiserat et quam non solvit integram.

Si venditio facta inter conjuges in uno e præcedentibus casibus, includat donationem simulatam, non ideo est nulla, sed reductibilis ex hypothesi quod lædatur reservatio. Si fieret in casu prohibito, rescindibilis esset juxta *Toullier, Troplong et Duvergier*, modo vere donatio intendatur; alii cum *Duranton* eam ut omnino nullam habent.

Quædam existit incapacitas vendendi et emendi inter quosdam magistratus aut præpositos, et subditos sub eorum jurisdictione degentes; duces enim militares in urbe, in præfectura aut in divisione militari ubi nomine regis imperium exercent, præfecti et subpræfecti in locis sibi subditis commercium quorumcumque granorum, farinae aliarumque ejusdem generis substantiarum, vel vinorum aut aliorum liquorum agere non possunt, nisi forte diversa hæc objecta ex propriis ipsorum oriantur, *Cod. pénal, art. 176*. Hic tamen simplex prohibitio potius quam vera incapacitas exprimi videtur: nam minime dicitur venditionem illam futuram esse nullam. Præpositi tale agentes commercium deprehensi ad multam damnantur, et merces fisco adscribuntur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE RE VENDIBILI SEU DE MERCE.

Res quælibet existens vel quæ existere potest et in commercio civili est posita, vendibilis est: id sequitur ex dic-

tis ubi de contractuum objecto. Si qua ex conditionibus in dicto articulo requisitis desit, venditio est nulla vel rescindibilis prout fuit explicatum.

Venditio rei alienæ erat in jure Romano valida, eo sensu quod venditor eam aut similem a proprietario emere et emptori tradere teneretur, aut damna inde exsurgentia compensare. Licet talis venditio nunc declaretur nulla, nihilominus venditor jure naturali tenetur rem, quam vendidit, emere ut eam tradat, vel damna inde provenientia compensare; imo ad id in foro externo damnaretur, ait *Delvincourt*, t. 2, p. 521. Unde nullum fere est discrimen reale circa illud punctum inter novam et veterem legem, quamvis utraque appareat valde opposita.

Ut intelligatur extensio art. 1559 nullitatem hujusmodi venditionis pronuntiantis, quædam sunt notanda ex communi jurisperitorum sententia.

1º Nullitas invocari nequit a venditore in cujus gratiam non fuit statuta, nisi forte fuerit bonæ fidei, et domino rei venditionem ratam habere nolente, velit statim ad vitandos majores sumptus, damna compensare.

2º Invocari potest a domino rei, vel potius ille rem suam simpliciter apprehendit.

3º Sane invocari potest ab emptore cui lex favere voluit. Olim, emptor nullitatem invocare non poterat nisi turbaretur in sua possessione, et hoc consentaneum erat principio tunc admissio. Nunc vero, sufficit periculum evictionis, quod existit quamdiu res vere est aliena, sed hoc periculum requiritur: nam si non adesset, actus venditionis idem esset respectu emptoris ac actus validus. Hinc emptor nullitatem invocare nequit si venditor factus fuerit dominus rei et actum ratum habeat; si ipsemet emptor rem acquisierit per præscriptionem vel bona fide consumpserit; si res apud ipsum casu fortuito perierit.

Nullum est dubium quin rei alienæ venditio, licet injusta, fiat postea valida, si legitimus dominus eam ratam habeat; nam tunc vera fit venditio, vel donatio, et eo instanti dominium transmittitur. Sit in exemplum

Gravis quæstio circa bona ecclesiastica quæ tempore perturbationis Gallicanæ publice vendita sunt.

Certum est 1^o eos qui hujusmodi bona tempore perturbationis publice emerunt, graviter contra justitiam commutativam peccasse; nam in confesso est bona prædicta injuste vendita fuisse; ergo injuste acquirebantur et injuste post acquisitionem retinebantur. Unde non unum, sed tot peccata acquirentes perpetrarunt, quot actus voluntatis renovarunt eadem sibi retinendi; itaque, nisi de his peccatis sincere doleant, absolvi nequeunt.

1^o A tempore Concordati inter summum Pontificem Pium VII et gubernium tunc in Gallia existens, die 15 augusti anni 1801 initi, possessores bonorum ecclesiasticorum proprietarii facti sunt adeo ut ea nunc restituere non teneantur. Ea namque restituere non tenentur si summus Pontifex, pro bono pacis, proprietatem illorum nomine Ecclesiæ condonaverit: atqui eorum proprietatem clare videtur condonasse per articulum Concordati 13, sic se habentem: « Sanctitas sua, pro pacis bono felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque » a se, neque a Romanis pontificibus, successoribus suis, » ac consequenter proprietatem eorundem bonorum, redditus » et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, » atque ab ipsis causam habentes. » Communiter enim in Gallia, episcopi, doctores, theologiæ professores ac confessarii scientia et pietate conspicui, ex citato articulo semper intellexerunt proprietatem supradictorum bonorum revera translata fuisse, ac proinde possessores minime quoad restitutionem nunc esse inquietandos. Hunc articulum sanctissimus idem Pontifex confirmavit in bulla *Ubi primum*, data die 17 julii anni 1817, cujus hæc sunt verba, post enumeratas omnes sedes episcopales: « Cum » vero Galliarum ecclesiæ in præterita rerum conversione » suo fuerint orbatae patrimonio, et ea quæ de peractis » bonorum ecclesiasticorum alienationibus articulo 13 Conventionis anni 1801 et pacis studio decrevimus, suum

» jam effectum nacta sint, ac firma semper suoque in robore perstare debeant, etc. »

Condonatio illa summi Pontificis non est nova et sine exemplo: in Anglia, post Henricum VIII, cardinalis Paulus, suprema rogante curia, ex facultate a Julio papa III sibi data, dispensationem omnibus bonorum ecclesiasticorum acquirentibus concessit, ut ea tranquille deinceps possiderent (*Continuateur de Fleury*, l. 150, n. 37). Dicitur non potest dispensationem istam fuisse tantum pro foro externo, nam eodem decreto matrimonia jure ecclesiastico nulla revalidat, collationes beneficiorum irritas confirmat: at certe hæc pro foro interno erant: ergo et dispensatio pro ecclesiasticorum bonorum possessione.

Monebat tamen simul Legatus injustos bonorum acquirentes, ut conscientiam suam providerent, nec in facili dispensatione Ecclesiæ nimis fiderent; dispensatio enim ista non auferebat peccatum injustitiæ jam commissum, quod absque sincera pœnitentia deleri non poterat; idem dicitur de acquirentibus temporis nostri.

In ipso Ecclesiæ Romanæ territorio quædam bona ecclesiastica tempore usurpationis fuerunt vendita: beatissimus papa Pius VII, pro bono pacis, declaravit se nullo modo molestaturum hujusmodi bonorum acquirentes, et revera nihil ab eis exegit, nisi ut onera pia eis annexa impleri curarent: ergo *a pari* nihil aliud in Gallia a possessoribus est exigendum.

Imo multi arbitrantur onera hæc pia exigi non posse; nam condonatio per articulum Concordati 13 facta, est generalis, absoluta et sine ulla restrictione: ergo vi illius omnia onera fuerunt extincta. Attamen, cum illa condonatio ægre admodum, et non nisi ob necessitatem fuerit concessa, non nimis extendenda est, sed potius esset restringenda. Porro extinctio onerum spiritualium non clare exprimitur: hortandi sunt ergo possessores ad implenda hæc onera. Ita fert resciptum sacre Pœnitentiariæ apostolicæ ad me directum, die 10 martii 1818, in quo hæc leguntur verba:

« Sacra Pœnitentaria, de expressa Apostolica auctori-

» tate, consulenti oratori declarat bona ecclesiastica a
 » gubernio Gallico occupata ante Conventionem initam
 » anno 1801 inter S. Sedem et gubernium Gallicum, in
 » plena acquirentium proprietate esse, adeo ut ea retinere,
 » iis gaudere atque alienare etiam illa tuto ac libere pos-
 » sint in foro, tum externo, tum interno, dummodo ta-
 » men acquisitio facta fuerit secundum leges tunc vigentes.
 » Hortatur tamen acquirentes istos ut pro sua pietate ac
 » religione satisfacere velint piis missarum, eleemosyna-
 » rum aliarumque rerum similium oneribus, quæ bonis
 » illis olim forsitan infixæ erant.»

Ex his rescripti verbis sequitur 1° proprietatem hujus generis bonorum revera et pro foro interno fuisse translatam; 2° nunc licere prædicta bona vendere aut emere; 3° eos qui a tempore Conventionis anni 1801 talia obtinuerunt bona, sive titulo hæreditatis, sive donatione, sive emptione, non peccasse, nec proinde ab illis exigendum esse ut de possessione vel acquisitione ista conterantur; 4° non solum simplices possessores, sed ipsos acquirentes esse duntaxat hortandos ut pia impleant onera.

Notandum est 1° hanc summi Pontificis condonationem primarios supradictorum bonorum acquirentes a censura ecclesiastica quam incurrerunt non liberasse: ergo ab illa solvendi sunt pariter, cum via omnino iniqua divites facti sunt, maxime saltem convenit ut eleemosynas plus minusve abundantes tribuant, prout plura vel pauciora hujusmodi bona emerunt.

Notandum est 2° articulum 13 Concordati solummodo transferre proprietatem bonorum hoc tempore alienatorum; dicit enim, *qui bona Ecclesie alienata acquisiverunt*: bona ergo quæ tunc non erant alienata, non fuerunt sic condonata: unde bona quæcumque, a privatis huc usque absque legali alienatione detenta, procul dubio reddi debent, ut in Tractatu de *Restitutione* diximus, pag. 49, 50 et 51, ut non semel contigit.

Sed bona quæ tunc a gubernio erant occupata, habenda sunt ut jam alienata, juxta responsionem S. Penitentiariæ et aliam responsionem ab auctore Tractatus de Justitia et

Jure, Ambiani impressi, citatam. Unde ea a gubernio vendita privati licite emere potuerunt.

Alteræ quæstio gravis circa bona vulgo dicta

DES ÉMIGRÉS.

Certum est pariter hæc bona injuste vendita fuisse, ac proinde vendentes et ementes contra justitiam commutativam peccasse, eosque absolvi non posse, nisi de tali peccato sincere doleant.

Attamen, cum possessores hujusmodi bonorum ea juxta leges tunc existentes acquisissent, non omnino assimilabantur furi qui rem integram reddere tenetur: unde episcopi, doctores et confessarii etiam accuratiores solummodo exigebant compositionem liberam inter actuales possessores et legitimos proprietarios, vi cujus, data aliqua pecuniæ summa, proprietas manebat inconcussa penes acquirentes et ab eis causam habentes.

Nunc vero, ex quo lata est lex indemnitis, die 27 aprilis 1825, nova exurgit quæstio, an scilicet actuales possessores quidquam prioribus dominis solvere adhuc teneantur. Quidam arbitrantur eos teneri ad restitutionem donec proprietarii omnino indemnes fiant: 1° quia injuste hi spoliati sunt et jus ad perfectam indemnitate[m] habent; 2° quia sine legitimo titulo proindeque injuste illi possident.

Cæteri autem æstimant, lege indemnitis impleta, nullam existere obligationem restituendi, et his præsertim rationibus fundantur: 1° licet legitimi proprietarii prorsus indemnes non fiant, certum est tamen eos multo plus hac lege recepisse, quam, ea seclusa, ex liberis compositionibus sperare potuissent: omnes tamen fatentur liberas compositiones esse sufficientes ad tutandam conscientiam. Ergo. 2° Gubernium indemnitate[m] solvit nomine actualium possessorum, ut eos liberet, et maximam plagam revolutionis sanet, *pour fermer la plaie de la révolution*, sunt ipsamet verba regis Caroli X: porro gubernium hunc scopum non attigisset si, non obstante hac solutione,

nihilominus actuales possessores ad restitutionem obligantur, ut sat clare patet. 3° Repugnat proprietarios indemnitate pro bonis amissis suscipere, et dominium tamen in ea retinere: igitur indemnitate accipiendo, proprietati renuntiarunt. 4° Nisi hoc principium pro foro interno sicut pro foro externo admitteretur, in multis laboreremur difficultates intricatissimas quæ nusquam finem obtinerent; posita namque obligatione restitutionis, cuncti confessarii eam exigere tenerentur, a liberis pro tempore quo hæredes fient, ab uxoribus, a moribundis, etc.: at nemo non videt quantum detrimentum hæc agendi ratio afferret religioni, paci familiarum et æternæ animarum saluti. Ergo.

Certum est quidem legitimos proprietarios non esse indemnes nisi ex parte: at quot sunt alii qui, tempore perturbationis nostræ, multa passi sunt damna, et nullam obtinuerunt indemnitate! Sunt calamitates publicæ valde lugendæ, et earum consecutaria ab omnibus vitari nequeunt. Unusquisque sortem suam patienter sustineat, et aliis saltem pro bono publico indulgeat.

Quæritur 1° utrum res, quibus emptores prævidentur abusuri, vendi possint.

Notandum est 1° res illas in duas classes dividi posse: aliæ sunt quæ ex natura aut forma sua ita ad malum sunt determinatæ, ut nunquam aut fere nunquam ad bonum inserviant, qualia sunt philtum amatorium, vestes muliebres ubera nudantes, libelli famosi vel libidinosi, picturæ lascivæ, larvæ, idola et vestes sacerdotales respectu paganorum. Aliæ autem sunt ad bona et malum usum indifferentes: talia sunt arma, venena saltem ordinaria, fucus, tali, chartæ lusoriæ et innumera alia.

Notandum est 2° res illas etiam pessimas et ad malum usum destinatas, valide vendi posse: nam ratione substantiæ sunt pretio æstimabiles, et jus positivum, licet plures venditiones hujus generis prohibeat, eas tamen irritas non facit, *Code pénal*, art. 287, sed decernit contra vendentes multam pecuniariam et penam carceris.

Notandum est 3° quod licet pro nullo temporali incom-

modo quis in peccatum alterius consentire valeat, possit tamen pro vitando gravi incommodo præbere illi materiam vel occasionem peccandi, non intendendo quidem peccatum ejus, sed proprium volens commodum, ut contingit in eo qui necessitate pulsus mutuum ab usurario petit; nam in eo casu peccatum non est imputabile ei qui materiam vel occasionem ponit; imputari enim non potest nisi quatenus ex parte sui esset voluntarium directe, vel saltem indirecte: porro neutrum dici potest: non directe, siquidem in se non intenditur, nec necessario ex prædictæ materiæ vel occasionis positione sequitur, sed ex sola peccantis malitia; non indirecte, nam illud non est voluntarium indirecte, seu in causa, cujus causam auferre agens non tenetur: at in nostro casu causam prædicti peccati agens auferre non tenetur; contra vero, ex hypothesi, justam habet rationem eam ponendi: ergo.

Aliunde, nisi hæc doctrina admitteretur, dicendum foret nullam rem vendi aut arte confici posse; nam fere nulla est qua homines abuti non possint, et qua de facto non abutantur. Ergo. Ita, post *S. Thomam*, q. 13, de *Malo*, art. 4, ad 19, omnes generaliter theologi.

His prænotatis, R. 1°. Non licet vendere ex professo res quæ ex natura aut forma sua ita ad malum usum determinatæ sunt, ut ad bonum vix inservire possint; non licet enim absque legitima causa præbere alteri materiam aut occasionem proximam peccandi: porro nulla potest esse ratio sufficiens res hujusmodi ex professo vendendi: ergo.

Diximus *ex professo*; si quis enim res hujusmodi ex casu haberet, v. g., idolum, aut quid simile, et paganus mortem illi minaret nisi illud venderet, tunc vendere posset, quia periculum in quo versaretur amittendi vitam, esset ratio sufficiens ut materiam vel occasionem alterius peccati, tuta conscientia, ponere posset. *Ita communiter theologi*. Licet pariter res prædictas vendere, si certo prævideatur ementem eas ad usum licitum petere, v. g., vestes sacerdotales paganorum ad tragediam honeste representandam, librum hæreticum ad illum confutandum, venenum ad mures destruendos, etc.

R. 2^o. Licet vendere ex professo res quibus homo potest indifferentem bene vel male uti; nam si res hujusmodi vendere ex professo non liceret, nulla aut fere nulla res ex professo vendi posset, ex observatis: verum id nec admitti nec dici potest, siquidem societas ex parte tunc subverteretur. Hinc licet vendere ex professo vinum, arma, aleas, chartas lusorias, etc.

Non licet tamen ea vendere quæ ad malum usum potius destinata esse videntur quam ad bonum, v. g., pura venena, nisi constet ea ob bonum usum postulari. Ludovicus XIV statuerat quod venena, naturam suam semper retinentia, a nemine, ea vero quæ cum aliis rebus mixta utilia sunt, a medicis tantum, chirurgis et pharmacopolis vendi possent; et quod medici, chirurgi ac pharmacopola nemini ipsum veneni corpus venderent, sed solum commixtionem ex illo cum aliis rebus ita factam ut inservire posset. Hæc dispositio erat sapiens et ratione fundata: ideo fuit aliquo modo renovata lege condita die 11 aprilis anno 1803, in qua hæc habentur: « Toute substance vénéneuse » ne peut être vendue qu'à des personnes connues et domiciliées, qui en auraient besoin pour leur profession » ou pour cause connue, sous peine de 3,000 francs d'amende de la part des vendeurs. Les pharmaciens et épiciers doivent inscrire, sur un registre coté et paraphé du maire, les noms, qualités et demeures des personnes auxquelles ils auraient vendu de ces substances, etc. »

R. 3^o. Res ad bonum et malum usum ex se indifferentes vendere non licet absque legitima causa illis qui eas in malum usum conversuri prævidentur; nam, ex dictis, non licet absque legitima causa præbere alteri materiam peccati vel occasionem peccandi. Unde non licet, v. g., vinum homini se inebriaturo vel jam ebrio dare, nisi gravis excuset causa.

Difficillimum est autem recte determinare qualis hæc causa esse debeat ut sit legitima. Debet quidem, juxta omnes, esse proportionata, tum proximitati materiæ vel occasionis, tum gravitati peccati ad quod concurritur. Unde major requiritur ratio ad vendendum gladium ei qui vult

inimicum occidere, quam ad vinum ebrio præbendum, et major ad vinum ebrio præbendum, quam ad cibum jejunium violaturis apponendum, etc. Sed hæc omnia ex judicio viri prudentis sunt pensanda. Nulla in theologia morali occurrit materia difficilius in praxi quam cooperatio ad malum; hic præsertim inter duo extrema summa cum circumspicione incedendum est.

Quæritur 2^o utrum quis res indifferentes vendere possit illis qui eas in abusum petunt, quando timet ne officinam suam deserant.

R. Sæpius hæc ratio non est sufficiens, aliquando vero sufficit: prudentum hominum judicio hoc æstimandum est. Si de gladio vel de veneno ad alterum occidendum ageretur, prædictus timor non esset ratio sufficiens, *ut patet*; si ageretur de vino ebriis præbendo, timor ille adhuc insufficienter videretur, quia ebrietas essentialiter est contra jus naturale: si autem de legibus jejunii aut abstinentiæ frangendis agatur, timor fundatus ne multi officinam deserant, ratio sufficiens nobis videtur, nam leges Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo. Secus dicendum foret si pauci tantum officinam deserturi præviderentur, quia grave non timeretur incommodum.

Quæritur 3^o an fucum muliebrem vendere liceat.

R. Quæstio hæc pendet ab altera, an scilicet mulieres fucum ad vultum pingendum licite uti possint. Docent communiter theologi, post *S. Thom.*, mulieres quæ fucum vultum suum pingunt, mortaliter non peccare, modo illud non faciant ad lasciviam excitandam, vel in Dei contemptum; sed omnes generaliter tenent illas semper venialiter peccare, nisi ad tegendum naturalem defectum, vel ad obediendum marito illicque placendum id faciant. Igitur qui fucum vendunt, nisi prævideant illum ad lasciviam fovendam esse adhibendum, mortaliter non peccant; si manifeste sciant quod ad vanitatem petatur, et illum absque incommodo recusare possint, et tamen vendant, peccant venialiter.